



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Notationes In Capvt Primvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527



NOTATIONES IN
CAPVT PRIMVM.



ANNO ab Incarnatione Domini Millesimo primo) Baro-
nius Tom. II. Anno 1001. mortem Ottonis & suc-
cessionem Henrici refert ad annum 1002. secu-
tus, vt ait, Marianum, Sigebertum, Lambertum.
Otto tamen Frisingensis & alij cum nostro Auctore faciunt.

Othone puero) Nomen Pueri Othoni adiecisse videtur; quia
puer Imperium inierat. Helmoldus lib. I. Chron. cap. 13. Illi
(Othoni II.) tertius Otho, cum adhuc esset puer, in regnum substitutus
est.

Roma defuncto) Ita etiam Rupertus in vita S. Heriberti. Da-
mianus in vita S. Rumoldi mortuum dicit apud Paternum.

Literarum studio) Etiam Rupertus in vita S. Heriberti Hen-
ricum à literarum cognitione laudat.

Ab omnibus pari voto) Fuere tamen, qui Henrici electioni re-
fragarentur. Vide Ditm. lib. 5. initio.

In Caput II.



Anctus VVolffgangus) A quo S. Henricus educatus fu-
erat; teste Ditmaro lib. 5.

*Nurit præclarum VVolffgangus Præsul alumnus,
Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.*

Visum namq; est ei) Hæc visio describitur quoque in vita san-
cti VVolfgangi; & à Baronio refertur ad annum Christi 1007.

CAESARIS DIGNITATEM) Cæsaris nomen pro Impera-
toris vocabulo. Vita S. VVolfgangi: Septimo anno à Pontifice Ma-
ximo Imperator vnctus est. Quod factum à Benedicto VII. Pon-
tifice, Anno Christi 1014. Olim communi vsu Rex Romano-
rum Cæsar appellabatur. Langius in Chronico; *Notandum, quod
Electus mox Cæsar, & Romanorum Rex appellatur: tum demum Impera-
tor & Augustus, si eum Romanus Pontifex confirmasset.*